



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Excommunicatorum absolutio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

EXCOMMUNICATORVM VITATIO.

PRÆTER Summissas sciendum est, quod quantum ad euitationem excommunicationum attinet, extat constitutio Leonis X. in Conc. Lateranensi ultimo sess. 11. fol. 179. et in antiquis, & in Bullar. fol. 212. nepotis sequentis. Statuitur in super, quod ad euitandum scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientis timoratis, quod nemo deinceps a communicatione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis, vel extra prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censure ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel a iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum ecclesiasticum obseruare, nisi sententiæ, prohibitio, suspensio, vel censura, huiusmodi fuerit vel contra personam, collegium, vniuersitatem ecclesiasticam, aut locum certum, aut certam a iudice publicatam, & denunciata specialiter, & expresse, aut si notorie in excommunicationis sententiâ constiterit, incidisse, quod nulla possit tergiversatione culari, aut aliquo iuris suffragio excusari, cum a communicatione illius abstinere volumus iuxta Canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.

Hanc extranag. inter alios recitant, & declarant Nauar. in man. confess. c. 27. nu. 35. Couar. in c. Alma mater. par. 1. §. 2. nu. 7. de sent. excom. in 6. Henriquez in Summa lib. 13. de excom. cap. 5. latissime Ioan. Gutier. lib. 1. canon. q. c. 1.

EXCOMMUNICATORVM ABSOLVTIO.

PRÆTER Summissas in hoc verbo, sciendum est, quod Regulares a sententiâ excommunicationis ab homine lata nullatenus absoluere possunt laicos, & clericos seculares. Leonis X. Constitutione cauetur in generali Concil. Lateranensi. ut infra in verb. privilegia Regularium in quo etiam fuit prouisum, quod excommunicatio ordinem Mendicantium profiteri volentes vbi de interesse tertii ageretur, absolui non possint, nisi prauia satisfactione. Procuratores quoque & negotiorum gestores, ac operarii eorundem fratrum seruitijs insistentes sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut danibus consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint. Et scias quod excommunicatio lata ab homine non prouenit nisi ratione contumaciæ, a iure vero prouenit ratione delicti. Abb. in rub. de sent. excom. in c. qua fronte. nu. 10. de appell. & de absolutione casuum referuatorum. vide infra in verbo casus referuati.

Leo X.

Annectere visum fuit Ioan. 22. declarationem, quæ sit atrox iniuria, vel damnable violentia, quam recitat per extensum Ioan. Bapt. Confess. in collect. privileg. Ordin. Mendic. & non Mend. fol. 22. mouit nos ad hoc agendum, præsertim, quia Nauar. in Man. cap. 27. sub num. 91. Io. Gutier. lib. 1. cano. q. c. 5. nu. 15. & Sayr. in Thesuro cas. consil. lib. 3. cap. 48. nu. 8. diminutam illam referunt, & ut tutius iudicium fieri possit, an Ordinarii absoluere valeant. Præd. extranag. tenor talis est.

Perle.

Perlectis literis vestris circa absolutionem excommunicatorum, vos in eis dubitare perspeximus, quæ esset modica, aut levis iniuria, circa quam, sicut talis loquitur, absoluedi vobis contulimus potestatem; Ad quod, cum sit facti potius quam iuris quaestio, vobis prout possumus respondemus: illam videlicet modicam percussione, aut impulsione, pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, vel lapidis, quæ ad liuorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non excedit, nec si tam leuissimi ictus, aut pugni percussiones sanguis exiret, transire in atrocem iniuriam profiteamur, vt propter hoc sit ab absolutione talium abstinendū, vt tamen non solum ipsum factum, imo etiam facti qualitas, percutiendi modus, aut iniuriandi circa hoc diligentius attendatur, & ipsius facti circumstantia loci videlicet, & etiam personæ, quæ sit leuis, vel modica, grauis aut enormis iniuria manifestius cognoscat: loci quidem vt in theatro, vel in foro, coram Rege, Prælato, vel Iudice, in Ecclesia coram multis, in alio loco publico alicui iniuria conferatur. Personæ, veluti si Magister, vel Iudex, aut etiam Magistratus, aut Prælatus, Pater aut Patruus, vel aliquis in dignitate, vel personatu constitutus ab inferiori, vel humili contra naturam iuris patiatur; per hæc quidem graues videantur iniuriæ, & quæ sint tales, aut modicæ tanquam ex opposito cognoscan- tur. Sane quæ negotij natura non patitur, vt ad plenum omnia differantur, iudicium autem talis enormis iniuriæ vestro duximus arbitrio committendum, vt potestatem vestram, cum ad hæc processeritis, temperetis, vt citra metas huiusmodi potius, quam vltra eas circa absolutionem talium procedatur, ne iniuriarum de vicina absolutione confisi, de facili in atroces prorumpant percussiones, vel iniurias, & sententias canonis iam periculosis contemnentis, in excommunicationis sententias procliuus prolabantur. Tolerabilius est enim, aliquos, qui per vos etiam possunt absolui, nobis, vel superiori absoluendos relinquere, quam contra statuta Canonum imagine quadam absolutionis, (quod non sit sine grandi periculo,) quamquam relinquere innodatū, cum vmbra quadam videatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.

Hactenus verba literarum Ioan. xxij. Quarum literarum terminos, scilicet, quando percussio, seu lesio iudicetur leuis, mediocris, vel enormis præ Nauar, & Sayr, vbi supra declarant Tolet. in sum. lib. 1. cap. 32. & latius Suarez de censuris disput. 22. sect. 1. pag. 408. col. 2.

EXCOMMVNICATIONES IN BVLLA DIE CAENÆ DOMINI.

PRÆTER Summistas in verbo, excommunicatio, sciendum est; quod excommunicationum quarum absolutio est reservata Summo Pontifici quadam sunt extra dictam Bullam, quædam uero continentur in ea; quæ enumerantur, & declarantur per Summistas præsertim per Nauar. in manuali confessorum c. 27. tenor uero dictæ Bullæ est tenoris sequentis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINIT.

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Nouerint Vniuersi hoc præsens publicum transumptum inspecturi, quod Nos Marcellus Lantes Protonotarius Apostolicus, utriusque Signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, ac Curia Caesarum Camera Apost. generalis Auditor,